Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Saul, quasi non esset unctus oleo. A san-
guine interfectorum, ab adipe fortium, sagit-
ta Ionathe numquam abiit retrorsum,
et gladius Saul non est reversus ina-
nis. Saul et Ionathas amabiles et
decori in vita sua, in morte quoque non
sunt divisi: aquilis velociores, leo-
nibus fortiores. Filie Israel, super Saul
flete, qui vestiebat vos coccino in
deliciis, qui prebebat ornamenta aure-
a cultui vestro. Quomodo ceciderunt for-
tes in prelio? Ionathas in excelsis tu-
is occisus est. Doleo super te frater
mi Ionatha, decore nimis, et ama-
bilis super amorem mulierum. Sicut
mater amat unicum filium suum, ita
ego te diligebam. Quomodo robusti
et perierunt arma bellica? II. ceciderunt
Igitur post hec consuluit David Dominum
dicens: Num ascendam in unam
de civitatibus Iuda? Et ait Dominus ad
eum: Ascende. Dixitque David: Quo
ascendam? Et respondit ei: In Hebron.
Ascendit ergo David, et due uxores eius,
Achynoen Iezrahelites, et Abigail
uxor Nabal Carmeli; sed et viros qui
erant cum eo duxit David singu-
los cum domo sua, et manserunt
in oppidis Hebron. Veneruntque viri
Iuda, et unxerunt ibi David ut reg-
naret super domum Iuda. Et nunci-
atum est David quod viri Iabes Gala-
ad sepelissent Saul. Misit ergo David
nuntios ad viros suos Iabes Gala-
ad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Do-
mino, qui fecistis misericordiam hanc cum
domino vestro Saul, et sepelistis eum.
Et nunc retribuet quidem vobis Do-
minus misericordiam et veritatem; sed et ego reddam
vobis gratiam, eo quod fecistis verbum
istud. Confortentur manus vestre, et
estote filii fortitudinis: licet enim
mortuus sit dominus vester Saul,
tamen me unxit domus Iuda in re-
gem sibi. Abner autem filius Ner, prin-
ceps exercitus Saul, tulit Isboseth fi-
lium Saul, et circumduxit eum per
castra, regemque constituit super Galaad,
et super Gethsuri, et super Iezrahel, et su-
per Effraym, et super Benyamin, et su-
per Israel universum. Quadraginta
annorum erat Isboseth filius Saul cum
regnare cepisset super Israel, et duobus an-
nis regnavit. Sola autem domus
Iuda sequebatur David. Et fuit numerus
dierum quos commoratus est David im-
perans in Hebron super domum Iuda,
VII annorum et sex mensium. Egressus-
que est Abner filius Ner, et pueri Isbo-
seth filii Saul de castris in Gabaon.
Porro Ioab filius Sarvie et pueri
David egressi sunt, et occurrerunt eis
iuxta piscinam Gabaon. Et cum
in unum convenissent, e regione sederunt
hi ex una parte piscine, et illi ex altera.
Dixitque Abner ad Ioab: Surgant
pueri, et ludant coram nobis. Et
respondit Ioab: Surrexerunt. Surgant.
ergo et transierunt numero XII de Benya-
min ex parte Isboseth filii Saul, et
XII de pueris David. Apprehensoque u-
nusquisque capite comparis sui, defixit
gladium in latus contrarii, et ceciderunt
simul. Vocatumque est nomen
loci illius: Ager robustorum in Ga-
baon. Et ortum est bellum durum
satis in die illa: fugatusque est
Abner et viri Israel a pueris David.
Erant autem ibi tres filii Sarvie, Io-
ab, et Abysai, et Asahel. Porro Asa-
hel cursor velocissimus fuit, quasi
unus ex capreis que morantur in
silvis. Persequebatur autem Asahel
Abner, et non declinavit neque ad
dexteram neque ad sinistram omit-
tens persequi Abner. Respexit itaque
Abner post tergum suum, et ait: Tu-
ne es Asahel? Qui respondit: Ego